

ILLVSTRIVM
MIRACVLORVM
ET
HISTORIA-
RVM MEMORABI-
LIVM LIB. XII.

*Ante annos ferè cccc. à CAESARIO HEISTER-
BACHENSI, ordinis Cisterciensis, Coloniensis diocce-
sis, vivo veneranda pietatis & recondita doctrina,
de ijs, que sua aetate memoratu digna conti-
gerunt, accuratè conscriptis*

*Ab omnibus quidem Orthodoxæ religionis & veræ
pietatis amantibus, propter evidentem utilita-
tem & iucunditatem, diu desiderati:*

*Nunc ab innumeris mendis, quibus incuria veterum scri-
ptorum & Chalcographorum seatebāt, diligenter
repurgati, & recens in lucem editi:*



ANTVERPIÆ,
Ex Officina Typographica Martini Nu-
tij, ad interfigne duarum Ciconiarum,
Anno M. D C. V.
Cum gratia & Privilegio.

A D M O D V M
R E V E R E N D O I N
C H R I S T O P A T R I A C D O-
M I N O, D. I O A N N I R O D E R O,
 insignis Monasterij Hemmenrodensis sacri Ordinis
 Cisterciensis Abbati Religiosissimo, Domino
 ac Patrono suo, Iacobus Fischerus Harle-
 minus salutem in Christo veram
 exoptat.


DEAECCLARE de Republica Literaria
 mereri illos, qui magna studio ac labore
 comparatam variarum rerum notitiam,
 non sibi solis servare, sed aliis quoque,
 transmissis ad posteros doctissimis libris,
 eandem communicare student, Reverenda
 Domine, notius est, quam ut fusiùs me id comprobare ne-
 cesse sit. Quanquam enim non desint forte, quibus minus
 probetur, iam multa ac varia quotidie, vitia licet, prodire
 nova volumina, quibus & ingenia obruti, & nimis sumpti-
 bus liberalium artium & scientiarum studiosos gravari exi-
 stimant: qui tamen rectius iudicant, Beati potius Augu-
 stini, scio, sententiam comprobabant; qui etiam de iisdem
 questionibus ac rebus; plures à pluribus conscribi libros, di-
 verso stylo, non diversa fide, utile senset; non solum quod
 difficile sit in omnium manus, qua scribuntur à singulis,
 venire: verum etiam, quod qui vel minus intelligit, mi-
 norique cum voluptate legit unum, forte melius affecturus
 sit, libentiusque lecturus alterum, rem eandem aliis verbis
 aliisque methodo explicantem. Nam quod in cibis, quibus hoc
 corpus sustentatur, evenit, ut unus idemque uni eidemque
 homini placeat, & displiceat, variè conditus & apparatus,
 eadem quoque in scriptis illis, quibus mens nostra pascitur,
 accidere certum est. Nonnulli siquidem res multis verbis
 explicari, alij breviter proponi, quidam non nisi ornata di-
 ctione delectantur, alij simplicem amant. Vi ergo omnibus
 fiat satis, cupit B. Augustinus, à diversis etiam eandem rem

Lib. 1. de
 Trinit.
 cap. 3.

DE CONVER- SIONE LIBRI PRIMI

CAPVT PRIMVM.

CÆSARIVS.



VPIENS loqui de conuersione, illius gratiam inuoco, qui loquitur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Cuius est scribenda inspirare, calamum gubernare, mercedem laboris com-

Psal. 84.

pensare. Ab iplo enim salutaris est conuersio, quia quos potenter conuertit, ab ipsis misericorditer iram suam auertit. APOLLONIUS: Videtur mihi necessariū, vt priusquam tractes de virtute conuersionis, summam perstringas, quo in loco, à quibus personis, qua necessitate noster ordo sit institutus, vt sic posito fundamento, super ædifices parietes spirituales ex lapidibus viuuis, politis, pretiosis, qui voluūtur super terram.

CÆSARIUS: In Episcopatu Lingonensi situm est cœnobium, nomine Molismus, fama celeberrimum, religione perspicuum, viris illustribus nobilitatum, possessionibus amplum, virtutibus clarum. Et quia diuitijs virtutibusque diuturna non potest esse societas, viri nimirum sapientes, & virtutum amatores, alius intelligentes, licet honestè in præfato cœnobio viuerent, minus tamen ipsam, quam professi fuerāt, regulam quia obseruarent considerantes, habito inter se communi consilio, viginti & vnus monachi, vnà cum patre suo Roparto, vnanimi assensu, eodem spiritu, venerunt in locum horroris & vastæ solitudinis, nomine Cistertium, ibi viuere cupientes de opere manuum suarum, secundum regulæ præceptum. Anno igitur Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo octauo, venerabilis Hugonis Lingonensis ecclesiæ Episcopi, & tunc Sedis Apostolicæ legati, atque

*De initio
ordinis
Cister-
ciensis.*